



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon XI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

## C A N O N   X I .

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXV. Cap. V.

**R**atio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erection, seu foundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in Beneficiorum Collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non de-rogetur, Idem in Præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, obser-vetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur, & aliter facta provisio subreptitia censeatur.

## C O M M E N T A R I U M .

**E**x hoc Canone sequens deducitur conclusio.

CONDITIONIBUS, SEU QUALITATIBUS A FUNDATORE IN LIMINE FOUNDATIONIS BENEFICII APPPOSITIS DEROGARI NON DEBET = Quam conclusionem probant etiam Fagnan. in cap. ut Abbates de etat. & qua-lit. num. 76. & in cap. conquerente de Cleric. non resid. n. 24. Garz. de benef. par. 7. cap. 1. num. 111. Tondut. quæst. benef. par. 1. cap. 68. num. 6. & seq. Ventrigl. in prax. par. 2. an-not. 28. §. 2. num. 47. Barbos. hic num. 11. Monacell. formul. legal. 7. tit. 2. num. 21. par. 3. Card. de Luc. de benef. disc. 96. n. 7. Pignattell. consult. 111. num. 19. tom. 9. Rot. decis. 66. num. 4. coram Carill. & dec. 354. num. 33. par. 19. rec., & in Farfen. Canonicatus 11. De-cembriis 1711. §. Ad effectum cum seq. coram R.P.D. Crispo, & dixi Par. I. Can. V. Cap. XVI. num. 3.

1 Ratio autem hujusmodi conclusionis est, quia omnino conveniens est, atque necessa-rium, ut Fundatorum voluntates inviolabiliter serventur, & adimpleantur, nè Fide-les retrahantur à beneficiorum foundationibus. Gonzal. in cap. nos de testam. num. 7. Pi-gnattell. consult. 82. n. 5. tom. 5. Rot. dec. 375. num. 5. & seq. p. 4. tom. 1. & dec. 665. n. 14. par. 18. rec. & dec. 73. n. 14. & seq. coram Cerro.

Quoad hanc conclusionem sequentes differuntur casus.

SUM.

## ARGUMENTUM.

Imposito à Fundatore in limine fundationis plurium Beneficiorum onera recitandi quotidie D. Officium in Collegiata, an Episcopus ex intervallo possit adjicere Beneficiatis onus recitandi unitim cum Clero ejusdem Collegiatæ D. Officium, & cum cantu in solemnioribus Festivitatibus.

## SUMMARIUM.

- 1 Summus Pontifex potest imponere nova onera beneficis, post eorum fundationem.
- 2 Episcopus, aut Patronus, fundatione executioni adhuc non demandata; potest qualitates beneficii mutare, alterare, & novas adjicere, secūs post perfectam fundationem, & n.3. & 22. Et quare. Vide num.25.
- 4 Episcopus extra limen fundationis beneficii nequit illud condecorare aliquo titulo.
- 5 Episcopus neque ex verisimilibus conjecturis novum onus beneficis imponere vallet.
- 6 Beneficiatis habentibus onus recitandi D. Officium in Collegiata, potest Episcopus injungere onus illud recitandi unitim cum Clero, & canendi in Festivitatibus solemnioribus, & n.19. & 20.
- 7 Distinguuntur duæ species conditionum, seu onerum.
- 8 Imponere onus extrinsecum beneficio est ei imponere novum onus; Secūs si imponatur ei onus quodammodo intrinsecum naturæ Beneficii.
- 9 Onus recitandi D. Officium unitim cum Clero, & cum cantu in Festivitatibus solemnioribus est quodammodo intrinsecum beneficio erecto in Collegiata, aut Cathedrali cum onere ibi recitandi D. Officium.
- 10 Episcopus injungendo hujusmodi beneficio onus recitandi D. Officium unitim cum Clero, non dicitur ei injungere novum onus.
- 11 Cappellano habenti onus celebrandi Missam, potest ab Episcopo injungi onus, etiam illam applicandi; quamvis Fundator in limine fundationis nihil dixerit de hac applicatione; Intellige, ut ibi.
- 12 Parocho extra limen fundationis injungi potest onus applicandi Missam pro Populo.
- 13 Canonici sive Cathedralis, sive Collegiatæ extra limen fundationis imponi possunt onera celebrandi, & applicandi Missam Conventualem, & interessendi quotidiani Concionibus tempore quadragesimæ.
- 14 Missa Conventualis in Ecclesia Cathedrali, vel collegiata, omnibus diebus Dominicis, & Festiis est canenda cum Diacono, & Subdiacono; & n.15.
- 16 Canonici tempore Quadragesima legitimè non impediti tenentur assistere Concionis, & nequeunt abesse. Intellige, ut ibi.
- 17 Expositio Sanctissimi Sacramenti informa quadraginta horarum non est permittenda in Feria quinta majoris Hebdomadæ.
- 18 Episcopus extra limen fundationis potest injungere Beneficiatis constitutentibus unum Corpus cum Capitulo, onus accendendi cum eodem Capitulo ad omnes Processiones ab Ecclesia fieri solitas.
- 21 Qualitates Sacerdotis, & Professoris Musica in Canonicatibus ex juris dispositione, non sunt necessariæ.
- 23 Qualitas Sacerdotalis canonicatus semel erecto amplius apponi nequit. Amplia, ut num.35.
- 24 Cantus peritia ex intervallo Canonicatus adjici nequit.
- 26 Reservato Jurepatronatus passivo ad Canonicatum favore Personæ idoneæ de jure intelligitur reservatum pro simplici Clerico.
- 27 Quod actus erectionis beneficii sit perfectus; ex quibus probetur. Vide ibi.
- 28 Verba erigen., & fien. in nominatione ad Canonicatum, vel Cappellaniam apposita, an demonstrant erectionem Canonicatus esse imperfectam.
- 29 Vicarius ad hoc, ut validè præstare possit consensum reservationis jurispatronatus in Canonicatu requiritur specialis delegatio Episcopi.
- 30 In dotazione, & reservatione jurispatronatus non requiruntur plures consensus, sed

*sed sufficit unus pro omnibus. Et quare?*  
Vide n.31.

- 32 *Vicarius Delegatus ad auctorizandas fundationes jurispernatus, potest valide suam auctoritatem interponere; non solum in fundatione beneficii simplicis, sed etiam Canonicatus; & n.33.*
- 34 *Defectus incorporationis dotis assignatae Canonicatui cum redditibus capituli non repugnat perfectioni illius erectionis.*
- 36 *Verbum Preti, vulgari sermone prolatum verificari etiam potest de simplicibus Clericis.*
- 37 *Qualitas Sacerdotalis ex quibus presumatur non inesse beneficio, & n.39.*
- 38 *Beneficium Sacerdotale argui non debet ex admissione, & nominatione, Sacerdotum ad illud; intellige, ut ibi, & n.40.*

## C A S U S I.

**O**cto beneficia fuerunt à quodam pio Testatore fundata in Ecclesia Collegiata A pro majori hujus decore, in eorumdem beneficiorum fundationis limine fuit de consensu Ordinarii impositum onus Beneficiatis recitandi quotidie in dicta Collegiata Divinum Officium; Episcopus autem ex intervallo animadvertis dictos beneficiatos recitare Divinum Officium separatim à Clero ejusdem Collegiatæ, præscripsit illud absolvi unitim cum Clero, & quidem in solemnioribus Festivitatibus, cum cantu; acriter contradicentibus eisdem Beneficiatis, quæro proindè, an isti teneantur unitim cum Clero Divinum Officium recitare, & canere in Festivitatibus solemnioribus.

- 1 *Respondendum videtur negativè; Etenim quamvis Summus Pontifex, veluti supremus Piarum voluntatum interpres, & administrator, post perfectam Beneficiorum fundationem possit eis imponere, nova onera, novasque adjungere conditiones à Fundatoribus non præscriptas, ad Text. in cap. significatum de præben. ubi Innocentius Tertius confirmavit onus Missæ quotidianæ de Sancta Maria cui-dam Præbenda ab Episcopo, & Capitulo de novo impositum ibique Abb. num. 1. Jo. Andr. num. 1. Butr. n.6. Fagnan. num. 1. Rot. in Gerunden. Applicationis 14. Junii 1706. S. Multoque magis, coram Reverendissimo Pars V.*

2 *Molines. Et quamvis eriam ipsem Episcopum, aut Patronum, fundatione adhuc executioni non demandata, conditions, & qualitates à Fundatore desideratas in limine fundationis, mutare, & alterare, aut novas adjicere valeat. Tondut. quæst. benef. par. 1. cap. 68. n.8. & seqq.*

3 *Tamen postquam fundatio est in esse perfecto deducta, & executioni demandata, nequit Episcopus, aut aliis Prælati inferior auctoritate ordinaria, vel Patronus Beneficiis nova onera, conditions, aut qualitates adjicere, & consequenter in casu præsenti Beneficiati prædicti, qui solum ex lege fundationis habent onus recitandi Divinum Officium in dicta Collegiata, non tenentur obtemperare decreto Episcopi, & unitim cum Clero Divinum Officium recitare, & canere in Festivitatibus solemnioribus; Fagnan. in cap. significatum de præben. num. 2. & seq. Lara de Annivers. lib. 2. cap. 1. num. 23. Barbos. hic num. 10. & seq. Panimoll. decis. 21. num. 7. Pignatell. consult. 111. num. 17. tom. 9. Monacell. formul. legal. 7. tit. 11. num. 21. par. 3. Rot. dec. 405. num. 7. coram Peutinger. & in Farfen. Canonicatus 11. Decembbris 1711. §. Ad effetum, & §. Cujus, coram R.P.D. Crispo, inferius impress., & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in Tuderina-Cappellaniæ 12. Martii 1718., & in Florentina 12. Martii 1718. superius relat. Part. II. Can. XXVII. Cas. IV.*

4 *Immo Episcopus, aut Patronus extra limen fundationis beneficii, nequit illud condecorare aliquo Titulo, præcipue existente altero beneficio, quod similem titulum obtineat, ut decisum fuit ab eadem S. Congregatione in Thelesna Archipresbyteratus 31. Julii 1717., ubi nulla declarata fuit concessio Tituli Archipresbyteralis, & Archibresbyteri respectivè facta per ordinarium Ecclesiæ Parochiali SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & ejus pro tempore Parocho; non obstante quod in eadem concessione fuerint appositæ clausulæ præservativæ juriū competentium Matrici, & Archipresbyterali Ecclesiæ S. Joannis Baptista.*

*Non obstat, si dicatur, quod Fundator erigendo dicta Beneficia in præfata Collegiata cum onere ibi recitandi quotidie*

A a D i v i-

- Divinum Officium, præsumitur verisimili-  
ter voluisse Beneficiatos recitare Divi-  
num Officium unitim, & non separatim à  
Clero ejusdem Collegiatæ, & quidem  
cum cantu in Festivitatibus solemnioribus,  
prout expletur ab illis de Clero;
- 5 Quoniam Episcopus neque ex verisimilibus  
conjecturis novum onus Beneficiis  
imponere valet; ut resolutum fuisse à S.  
Congregatione Concilii testatur *Fagnan.*  
*in diet. cap. significatum de præben. num. 5.*  
ibi ≡ Rursus cùm Episcopus Asculanus im-  
posuisset onus paucæ eleemosynæ cuidam  
Prioratu, quod est beneficium simplex, pro  
Missis bis in hebdomada celebrandis in Ca-  
thedrali Ecclesiae; Idque quia licet dictus  
Prioratus actu Ecclesiam non haberet, cùm  
tamen haberet redditus, & adessent vesti-  
gia veteris Ecclesiae, non erat verisimile il-  
lam sive onere Missarum celebrandarum ere-  
ctam fuisse, S. Congregatio consulta, an id  
potuisset Episcopus, respondit nullum onus  
novum imponendum ex conjecturis verisi-  
milibus ≡.
- 6 At his minimè attentis censeo præ-  
fatos Beneficiatos teneri unitim cum  
Clero Divinum Officium recitare, & ca-  
nere in Festivitatibus solemnioribus. Ve-  
ra quidem est, & in controvertibilis pro-  
positio, quod Episcopi, aut Patroni ne-  
queant Beneficiis, post eorum perfectam  
fundationem, nova onera, seu conditio-  
nes addere, & imponere; sed casui præ-  
senti est inapplicabilis, dum Episcopus  
injungendo dictis Beneficiatis, ut reci-  
tent Divinum Officium in Ecclesia Col-  
legiata unitim cum Clero, & cum cantu  
in Festivitatibus solemnioribus non adje-  
cit eis novum onus.
- 7 Distinguendum est enim inter condi-  
tiones, qualitates, aut onera omnino extrinseca naturæ Beneficii, & conditiones,  
qualitates, aut onera quodammodo intrinseca,  
& quæ insunt ipsi naturæ Beneficii.
- 8 Licet imponere conditionem, aut qualita-  
tem, aut onus omnino extrinsecum be-  
neficio, sit imponere, & adjicere novum  
onus, tamen injungere onus intrinsecum  
naturæ Beneficii, & quod in se intrinsecè  
habet ipsa natura Beneficii, non est adde-  
re Beneficio novum onus, sed est injun-  
gere idem onus, quod in se habet imbibiti-  
tum ipsum beneficium; ut per se pa-  
tet.

9 Onus, de quo agitur, recitandi nimi-  
rum Divinum Officium unitim cum Cle-  
ro, & cum cantu in Festivitatibus sole-  
mniibus, est intrinsecum naturæ supradic-  
torum beneficiorum; ista namque cum  
fuerint erecta in Collegiata, cum onere  
recitandi ibi Divinum Officium, reputan-  
tur membra ejusdem Collegiata, & Be-  
neficiati coalescent, & constituant unum  
Corpus cum Clero, & Capitulo quoad  
actus Chorales, & alios concernentes  
Divina Officia. *Card. de Luc. de Paroch.*  
*disc. 28. num. 13. Rot. in Illerden. Processio-*  
*num 23. Martii 1703. §. Nec causæ, cor.*  
*R.P.D. Kaunitz.* De natura autem mem-  
brorum est, quod sunt unita, & non sepa-  
rata à suo capite, & ab aliis membris; &  
consequenter de natura horum benefi-  
ciorum erit, quod Beneficiati convenient  
in unum cum Clero dictæ Collegiatae in  
recitatione Divini Officii, eodem modo,  
& forma, quibus illud recitat Clerus, sci-  
licet cum Cantu in diebus Solemniori-  
bus, dum incongruum omnino est, ut  
quando illi de Clero dictæ Collegiatae  
recitant, cum cantu, vel sine Divinum  
Officium, isti Beneficiati, qui etiam sunt  
de Clero, & constituant unum Corpus  
cum Capitulo, cum maxima scissura se-  
abstineant, & illud recitent separatim.  
*Felin. in cap. Pastoralis sub num. 10. de offic.*  
*Legat. Gratian. discept. 111. num. 3. Pani-*  
*moll. decis. 1. annot. 17. sub num. 1. & seq.*  
& alii apud Rot. in dicta Illerden. Processio-  
num 23. Martii 1703. dicto §. Nec causæ  
cum seq. coram R. P. D. Kaunitz. Unde  
10 Episcopus injungendo hujusmodi Bene-  
ficiatis, ut celebrent unitim cum Clero  
Divinum Officium, non adjectit eis no-  
vum onus, sed solum onus, quod intrin-  
secè habebant dicta beneficia, & quod  
per abusum, & irrationabilem desuetudi-  
nem, non adimplebatur à Beneficiatis,  
injunxit, ut adimpleretur. Quicquid se-  
cūs esset si his Beneficiis non fuisset in li-  
mine fundationis adjectum onus recitan-  
di Divinum Officium in dicta Collegiata,  
aut si fuisset adjectum; & simul fuisset  
prohibitum illud absolviri unitim cum  
Clero; tunc non posset Episcopus ex in-  
tervallo, injungere eisdem beneficiatis  
recitationem Divini Officii in Collegiata  
unitim cum Clero; & si id injungeret,  
esset eis imponere novum onus; quia in  
hoc

hoc casu dicta beneficia non considerarentur, ut membra Collegiatæ, nec Beneficiati considerarentur, ut coalescentes, & constituentes unum Corpus cum Capitulo quoad actus Chorales; adeoque onus recitandi Divinum Officium unitim cum Clero, esset eis extrinsecum.

11 Sic Episcopus Cappellano habenti onus celebrandi quotidie Missam, potest injungere applicationem ejusdem Missæ pro Anima Fundatoris, quamvis Fundator nihil dixerit in limine foundationis de ista applicatione, dummodo hanc expressè, vel tacite non excluderit, & ei injungendo dictam applicationem non diceretur imponi novum onus, quia ista applicatio est onus quodammodo intrinsecum Cappellaniæ habenti onus Missæ quotidianæ, & Cappellanus, qui ex lege foundationis tenetur celebrare, tenetur etiam applicare Missam pro Anima Fundatoris, ut dixi Par. II. Can. XXVII. Caf. XIII. n. 1. & superius h̄c Can. I. Caf. II. n. 7.

12 Eodem modo potest injungere Parochio applicationem Missæ pro Populo, licet in limine foundationis Parochiæ Fundator de applicatione nullam mentionem fecerit, & injungendo Parochio hanc applicationem, non diceretur ei injungere novum onus, quia onus applicandi Missam pro Populo inest naturæ Beneficii Curati, & est ei intrinsecum, dum Curati tenentur applicare Missam pro Populo, ut firmavi dicta Par. II. Can. XXVII. Caf. XII. num. 21. Sicuti imponere valet celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus, & assistentiam, seu interestentiam quotidianis concionibus tempore quadragesimæ, in casu, quo non sint legitimè impediti, Canonice Cathedralis, aut Collegiatæ insignis, quamvis in fundatione Cathedralis, aut Collegiatæ de hac applicatione, & de hoc onere expressè cautum non reperiatur; & imponendo hanc celebrationem, & applicationem, non dicerebatur eos gravare novo onere, quia hujusmodi onus celebrandi, & applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus inest in ipsa natura Canoniciatum, & est quodammodo intrinsecum Canonicibus, dum dignitates, & Canonici Cathedralis, aut Collegiatæ tenentur celebrare, & applicare Missam Conventualem pro Bene-

Pars V.

factoribus juxta auctoritates, & resolutiones dicto Caf. XII., ubi supra relatas; quibus addo aliam resolutionem S. Congregationis Concilii in Verulana Visitationis SS. LL. 21. Januarii 1719., ubi declaratum fuit, Primò; quod Missa Conventualis in Cathedrali Ecclesia sit omnibus diebus Dominicis, & aliis Festiis de præcepto cantanda cum Diacono, & Subdiacono, & nullatenus permitti possit, ut in aliquibus diebus Dominicis, & aliis Festiis de præcepto Missa Conventualis cantetur sine Diacono, vel Subdiacono. Secundò; quod etiam in Ecclesia Collegiata cantanda sit quolibet die Missa Conventualis, & quidem diebus festiis solemnioribus ab Episcopo designandis cum Diacono, & Subdicono; Ea ratione quia tam in Cathedralibus, quam in Collegiatis Ecclesiis adest obligatio recitandi quotidie Officia Divina publicè, & in Choro, sub quorum nomine comprehenditur, & quidem præcipue Missa Conventualis, ut dixi dicto Can. XXVII. Caf. XII. n. 7. Et Missa Conventualis exposcit Diaconum, & Subdiacoum, ita ut in casu solùm deficientiæ Ministrorum necessariorum cani valeat cum uno Ministro, qui præter solitas functiones cantat Epistolam, cantante Sacerdote celebrante Euangelium, uti docent Suarez tom. 3. in tertiam partem disput. 87. sect. 1. Castald. in prax. lib. 2. sect. 5. cap. 7. Quart. ad Rubr. Missalis par. 1. tit. 3. sect. 1. §. Dubitari potest; & tradunt quamplurimi alii Doctores. Tertiò, quod tempore 16 Quadragesimæ Canonici Cathedralis Ecclesiæ legitimè non impediti teneantur assistere concioni, ita ut permissum esse ipsis non debeat decantato Vespere ab Ecclesia discedere, & concioni non assistere, nisi de licentia Episcopi, vel ejus Vicarii ad formam Decreti Nicien. anni 1623. lib. 13. decret. fol. 563., ubi fuit definitum *Canonicos legitimè non impeditos tempore Quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere*, & ideo Episcopum decretum edere posse, ut Canonici nequam liceat prædicto tempore ab Ecclesia abesse nisi de ipsis, vel ejus Vicarii licentia. Et quia Canonici Ecclesiæ Cathedralis Verulanæ in feria quinta majoris hebdomadæ in eadem Cathedrali faciebant expositionem Sanctissimi Sacramen-

A a 2 ti in

- ti in forma quadraginta horarum, & dabatur benedictio solemnis Populo feria sexta sequenti post Missam, fuit declarata <sup>17</sup> tum. Quartò; in posterum tolerandum non esse, quod in Cathedrali Ecclesia feria quinta Majoris hebdomadæ fiat expositio Sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, & detur benedictio solemnis Populo feria sequenti sexta post Missam, quia hujusmodi expositio videtur adversari tum rubricis Missalis Romani, tum Cærimoniali Episcoporum; in Rubrica siquidem Missæ propriæ feriæ quintæ in Cœna Domini dicitur, quod ea die parari debet locus aptus ornandus cum velis, & luminibus, ubi Calix cum Hostia reponatur; In Cærimoniali autem lib.2. cap.23. legitur præparandum esse Sacellum intrâ Ecclesiam, in quo post Missam recondendum sit Sacramentum, quæ adversari videntur expositioni Sanctissimi Sacramenti dicta feria quinta in forma quadraginta horarum, adeoque *Gavantus par.4. tit.8. suorum Comment. in Rubric. Miss.* ad ea verba Rubricæ Reponit in Capsula, ait ≡ non videndus est Calix à Populo, & multo minus Hostia patere Populo debet ≡ Et magis ad rem subdit *Bauldri in Manual. Sacrar. Cæremón. cap.9.* de feria quinta in Cœna Domini art.1. n.3. ibi ≡ Nullo modo debet hac die poni Tabernaculum ostensorium, scut solet fieri in Feste Corporis Christi, in quo appareat Sacramentum hac die, & sequenti, neque etiam debet exponi, ut in Oratione quadraginta Horarum, contra quasdam, qui in hoc manifestè agunt contra intentionem Ecclesiæ, & contra Rubricam Missalis, & contraria consuetudo videtur abusus ≡ .
- 18 Injungere etiam potest Episcopus Beneficiatis, Cappellanis, Partitionariis constituentibus unum Corpus cum Capitulo onus accedendi cum eodem Capitulo ad omnes Processiones ab Ecclesia fieri solitas, etiamsi Fundator in limine foundationis dictorum Beneficiorum, aut Cappelliarum, hoc onus non expresserit, & injungendo eis idem onus, non dicere tur injungere novum onus, quia hujusmodi onus in hoc casu, est quodammodo intrinsecum dictis Beneficiis, aut Cappellaniis, dum ex dispositione Tridentini cap.13. sess.25. de regal. obligentur accedere ad Processiones à Rituali Romana in dictis, vel consuetudine introductas Presbyteri, & Clerici tam sœculares, quam Regulares etiam exempti. *Lara de annivers. & Cappell. lib.1. cap.24.num.29.* Tamburini de jur. Abbat. tom.3. disput. 5. quest. 12. n.55. & 81., & firmatum fuit à S. Rota in Illerden. *Processionum 23. Martii 1703. per tot. coram R.P.D. Kaunitz.*
- 19 Ergo etiam in casu nostro poterit Episcopus injungere dictis Beneficiatis onus recitandi Divinum Officium unitim cum Clero, & cum cantu in Festivitatibus solemnioribus, & præscribendo hoc onus non diceretur eis injungere novum onus, quia illud in præsentiarum inest Naturæ dictorum Beneficiorum, & est ei quodammodo intrinsecum.
- 20 Et ita in terminis hujus Casus resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Melevitana Divinorum Officiorum 29. Januarii 1718.* ubi institutis, & ipsis Autoritate ordinaria à quadam Catharina valenti in Ecclesia Parochiali S. Pauli Urbis Vallettæ novem beneficiis, uno Parrocho conferendo, & reliquis, Sacerdotibus à Fundatrice in ejus vita, & deinde ab ipso Collegio Beneficiatorum præsentandis, cum onere, ut Beneficiati ultra unam Missam in Cantu, cum aliis lectis in Anniversario ejus mortis, & aliam quolibet mense celebrandam, quotidie etiam Divina recitarent Officia, & Missam in Cantu celebrarent, sequenti tamen adjecta declaratione ≡ Che nelli giorni, nelli quali in detta Chiesa sarà altra Messa cantata, in tal caso non siano tenuti, che dire la Messa bassa in luoco di quella, che se doverà cantare ≡ ; & cum onere distribuendi redditus assignatos ≡ tra li sudetti Paroco, e Beneficiati pro rata servitorum, e non altrimenti, etiam per qual'vol glia impedimento ≡ . Cum autem Clerus servitio dictæ Parochialis Ecclesiæ adscriptus ex antiqua consuetudine, & Syndicalibus Constitutionibus, nullo recepto emolumento, soleat inter cætera diebus Sabbathi completorium canere cum Laudibus B. Mariae Virginis, & singulis diebus Dominicis, & Festis de præcepto Missæ Parochiali assistere: Horam tertiam de mane, & post meridiem Vespertas decantare, non intervenientibus dictis Beneficiatis, qui separatim Officium Divinum absque cantu persolvunt. Hinc Epi-

Episcopus in S. Visitatione decrevit, ut Beneficiati cum Parocho, & Clero conveniant, & omnibus Cleri functionibus inter sint, omnesque tam de numero Beneficiorum, quam de reliquo Clero à Sacristia ad Chorum, ritu SS. Processionum, binos binos accedere mandavit, imposita quoad Beneficiatos, poena pecuniaria, quoad alios Carceris; Officium Divinum, à Beneficiatis in solemnioribus Festivitatibus integrè etiam in cantu absolvi præscripsit Parocho primum stallum in Choro assignavit, & vetuit sub pena suspensionis à Divinis per Mensem, nè quis alius, excepto Vice Parocho, illud occupet. Ab hujusmodi Decretis Beneficiati acriter reclamarunt; propositis proinde dubiis.

Primò = An Beneficiati fundati in Ecclesia S. Pauli per quandam Catharinam, Valenti teneantur intervenire cum Clero dictæ Ecclesie in omnibus functionibus, quæ à dicto Clero peraguntur, in dicta Ecclesia, in casu &c.

Secundò = An dicti Beneficiati teneantur Officium Divinum solemniter celebrare, & canere in certis Festivitatibus præscriptis ab Ordinario, in casu &c.

Tertiò = An dicti Beneficiati eentes ad Chorum teneantur processionaliter incedere, juxta Decretum factum ab Ordinario in Sac. Visitatione, & quatenus affirmativè.

Quartò = An sustineatur pena in dicto Decreto desuper adjecta, in casu &c.

Quintò = An in functionibus, in quibus Parochus dictæ Ecclesie intervenit tanquam unus ex dictis Beneficiatis, debeat semper habere primam Sedem, & stallum, & quatenus affirmativè.

Sextò = An sustineatur pena suspensionis à Divinis ab Ordinario adjecta Beneficiatis sedentibus in dicto primo stallo.

Septimò = An dictus Parochus impeditus ratione Curae, debeat haberi pro interessente, ad effectum lucrandi distributiones, in casu &c.

Ostavò = An in casu absentiae ejusdem Parochi possit Vice-Parochus ejus vices supplere ad formam Decreti Reverendiss. Episcopi, & sedere in ejus stallo cum stola, quamvis non adscriptus inter Beneficiatos; in casu &c.

Fuit responsum ad primum: Affirmativè in functionibus, quæ sunt compatibiles

cum fundatione = Ad secundum Affirmativè; Ad tertium, Affirmativè quando incedunt tantum cum Clero; Ad quartum Negativè, sed sub pœnis mitioribus arbitrio Episcopi imponendis; Ad quintum Affirmativè; Ad sextum Provisum in quarto; Ad septimum Negativè; Ad octavum Negativè, exceptis functionibus Parochialibus.

### R. P. D. C R I S P O

#### Farfen. Canoniciatus

Veneris 11. Decembris 1711

**I**N simul contendentibus Clerico Josepho Bufalerio, & Sacerdote Augustino ejusdem cognominis super literarum Apostolicarum executione, quas unusquisque ex iis expediverat; Primus nempe uti præsentatus à Societate S. Laurentii Terra Tolphiæ, à cuius Confratribus majora reportaverat suffragia; Alter verò uti qualificatus suam provisionem relaxari obtinuerat sub expressione, quod dictus Canoniciatus ordinem Præsbyteratus, neconon etiam officium Professoris Musicæ ex sua primæva erectione annexum retineret; Sub die 8. Junii currentis anni coram Reverendiss. D. meo Molines Decano utriusque literis sub acri censura positis, favore Josephi præsentati decreta existit executio, illiusque etiam favore successiva prodiit Rotalis sententia, de cuius viribus coram Me disceptati cum oportuerit, non dubitavit etiam hodie Rota pro literis Apostolicis Josephi iterum respondere, videlicet ad illarum legitimam executionem esse procedendum.

Ambigi siquidem nequit plenè justificatas dici literas Apostolicas pro præsentato per Josephum expeditas, tales verò nequaquam resultare alteras Augustini, qui ejusdem Josephi exclusionem in eo solummodo promovere totis viribus conatur, ex quo in controversi Canoniciatus erectione qualitas Sacerdotalis, & Professoris Musicæ in Canonico eligendo fuerit statuta, qua cum Joseph non pollat, idem propterea tamquam non idoneus debeat ab ejusdem Canoniciatus assecutione repelli. In hujusmodi expressionis verificatione usque adhuc necel-

necessariæ probationes adductæ non apparent, ex quibus liquidè habeatur, quod Canonicatus à Societate nominandus, ita qualificatus esse pernecessere teneatur, & contrarium omnino demonstrat Instrumentum fundationis exaratum sub die 25. Maii 1620., ac Ordinarii auctoritate roboratum, ubi hujusmodi qualitates Sacerdotis, & Professoris Musice minimè adjectæ leguntur, prout nec minus hoc legitur in altero Instrumento erectionis expleto sub die 24. Junii ejusdem anni cum reservatione jurispatronatus favore Societatis, cùm alias ex juris dispositione non solum in Collegiata, sed nec etiam in Cathedrali hujusmodi qualitates in Canonicatibus necessariæ competriantur, quin imò in Collegiata simplices 21 quoque Clericos annorum 14. habiles esse nulla intercedere videtur hæsitatio, licet respectu Cathedralis pro obtainendo Canonicatu major ætas 22. annorum requiratur, juxta dispositionem Sacri Concilii in sess. 24. cap. 12. vers. Neminem deinceps, de quo Rot. in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23. Junii 1710. §. Quo circa, coram R.P.D. Aldrovando; Cùm circa Canonicatus in Collegiata Concilium nihil immutasse concors est Interpretum sententia, de qua Murga de benefic. qu. 3. n. 667. & 668. & alibi passim.

Sub hac propterea narrativa suas literas Augustinus cùm subreptitiè impetraverit, non docto de veritate narratorum, inexequibilis remanet ejusdem gratia à Sanctissimo reportata, & è converso uti plenè justificata exequibilis altera pro presentato à Josepho expedita, cùm totum onus probationum convertatur in eodem Augustino, qui tamquam imperator, & habens regulam contra se, quod Canonicatus qualificatus minimè presumatur, nisi probetur, ut benè dixit Murga de benef. quæst. 2. n. 324. gravatur onere exactæ, & rigorosæ probationis ad effectum justificandi fundamentum gratiæ, cui Papa unicè adhæsit, ut millies contra Imperatores respondit Rota, & signanter in Astulana Beneficii, seu Abbatia 8. Martii 1700. §. Seorsim, coram R.P.D. meo Ansaldo, in Recanaten. beneficii 9. Maii 1701. §. Fundamentum, coram R.P.D. meo Lancettâ, & in Rossanen. Parochialis 19. Januarii bujus anni §. Quantum patens, coram Me.

Ad effectum autem probandi supradictas qualitates Canonicatui esse infixas perperam insisti videtur in Bulla Cardinalis Montalti tunc Abbatis Farfensis sub data 25. Martii 1621. in qua eidem Canonicatui appositum habetur onus, quod Canonicus esse debeat, qui actu Presbyter sit, vel saltè in legitimâ etate ad Sacrum Presbyteratus Ordinem suscipiendum constitutus, & Musice Professor. Omisso namque an Bulla, seu Diploma præfatum dici valeat in forma probanti, itaut tamquam legitimum documentum possit ad intentum deservire; Hoc quidem satis videri poterit, quod Bulla prædicta cùm edita fuerit post jam completam, & perfectam erectionem, ac post interpolacionem novem mensium à prima creatione, nequivit Cardinalis Ordinarii figuram gerens novum onus fundationi deinde adjicere. Præcipue quia cùm prima erectione jam fuerit auctoritate Ordinaria sui Vicarii per actum omnino completum perfecta; Hinc beneficio jam semel in esse deducto ad solum Papam, non autem ad inferiorem illius qualitates immutare, vel alterare ex Sac. Concil. dispositione sess. 25. de reformat. cap. 5. pertinere sancitum reperitur, & communiter explicant Fagnan. in cap. Significatum num. 2. in fin. de Præbend. Ventrigl. in praxi Ecclesiast. p. 2. annot. 28. §. 1. n. 47. Corrad. in praxi benefic. lib. 2. cap. 10. n. 15. & seqq. Rot. in Asten. Prioratus super pertinentia 11. Junii 1708. §. Sed ex fæto, coram R.P.D. meo Lancetta, & 7. Decembri ejusdem anni §. Minime suffragante, coram R. P. D. meo Aldrovando, & in individuo, de qualitate Sacerdotali, quod Canonicatui simel eretto amplius apponi nequeat dixit Rot. coram Cels. decis. 393. n. 8. & in recent. decis. 78. num. 10. p. 9. & de cantus peritia, 24 quod pariter ex intervallo adjici non possit dictum fuit in Gerunden. Applicacionis 14. Junii 1706. §. Multò magis, coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano.

Cujus quidem præcipua ratio esse videtur, quia etsi causa efficiens, & constitutiva jurispatronatus (sine qua locum 25 habere non potest Fundatoris dispositio) sit ipsa approbatio Ordinarii, ut latè dictum fuit in Senogallien. Canonicatus de Luchis 25. Januarii 1709. §. Non attenta, coram

coram R. P. D. meo Lancetta, & 23. Junii 1710. §. Minimè relevante, coram R. P. D. meo Aldrovando, & in Asten. Prioratus super pertinentia 20. Martii 1709. §. Quamvis enim, coram eodem; Quando tamen beneficium jam fuit erectum, & Ordinarii assensu auctorizatum, tunc à litera foundationis amplius recedi non permittitur, nec novæ qualitates ab eodem Ordinario denuo superimponi licitum esse constat; sed juxta ipsius foundationis præscriptum adamussim veniunt beneficia providenda, nè à beneficiorum foundatione fideles retrahantur, ut individualiter docuerunt Riccius in *prax. jur. Eccles. par. I. resol. 203. in fine, Pignat. consult. Can. 111. à n. 9. & seqq. & sganter num. 17. tom. 9. Rot. coram Merlin. decis. 249. nu. 3. vers. Prætena autem qualitas, & in Gerunden. eleemosynæ panis super bono jure 20. Martii 1702. §. Illud namque, & sicuti, coram R. P. D. meo Priolo, cum aliis in Decis Causæ §. Non relevante, coram Reverendissimo D. meo Decano.*

In dubium autem revocari non valet, quod per dotationem à Confratribus expletam cum reservatione juris præsentandi personam idoneam, quod intelligitur de simplici Clerico habente ætatem legitimam à Concilio præscriptam, ut per *Text. in cap. Cùm in cunctis de Elección. Rebuff. in prax. benefic. tit. form. Vicar. Archiepisc. num. 87. Sbrozz. de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 100. n. 1. & latè in Vollaterrana beneficij 7. Decembbris 1708. §. Collmant, cor. Me, Canonicatus, de quo disputatione dici debeat in esse perfecto deductus per actum plenè completum, ex 27 eaque dotatione absolutam resultare erectionem; Clara enim in hoc se offerunt verba Instrumenti exarati sub die 24. Junii 1620. in quo non solum assignatur dos pro fundatione Canonicatus, verum etiam expressum extitit, dotem Capellæ, seu Beneficii fore de jurepatronatus Confratrum, ipsisque perpetuis futuris temporibus competere debere jus præsentandi personam idoneam quoties illud vacare contigerit; Necnon Confratres prædicti fassi fuerunt ad eundem actum devenisse vigore facultatis Pro-Vicarii Farfensis specialiter delegati ad effectum erigendi, & reservandi juspatronatus juxta auctoritatem eidem tributam.*

in literis Vicariatus similes præstandi consensus fundationibus, & reservacionibus jurispatronatus. Inficiari igitur non poterit, quod dotatio præfata cum his solemnibus, ac prævio Pro-Vicarii assensu expleta, perinde habenda tamquam perfecta, & completa erection ad ejus irrevocabilitatem, & validitatem nihil aliud exposcens, ad benè animadversa in his terminis per *Rot. in Majoricen. jurispatronatus 28. Novembris 1704. §. Minimè, & §. Altera, coram bo. mem. Muto, & in Asten. Prioratus super pertinentia 11. Junii 1708. §. Quod autem, coram R. P. D. meo Lancetta.*

In nihilo adversante, quod in eodem Instrumento deveniendo Patroni ad nominationem primi Cappellani in personam Antonii Cretonii illum nominando in Canonicum, & Cappellanum Altaris, seu jurispatronatus usi fuerint verbis *erigen. & fieri. ex quo inferri contenditur, quod actus erectionis non fuerit tunc perfectus, & plenè completus, ac solum ex successiva Bulla Cardinalis Montalti suam perfectionem, & implementum reportaverit. Etenim verba prædicta erigen. & fieri. minimè cadere valent super ipso Canonatu, & jurepatronatus, sed quidem super Altari, & Cappella materiali, quæ tunc non erat reædificata, & ad quem effectum Confratres jam præcedenter depositaverant duos ex corpore Societatis pro opere prædicto perficiendo; Idque patens efficitur animadvertisendo, quod ante dictum Instrumentum sub die 25. Maji jam præcesserat destinatio, qui sanè prior actus, tamquam cadens super erectione facienda de futuro, imperfectus vere esse valebat; Cùm autem postea sub die 20. Junii ad alterum Instrumentum prævio Ordinarii assensu, & cum omnibus solemnibus fuerit deventum, in quo Fundatores intellexerunt primævo altero Instrumento dotationis executionem tribuere, & sibi juspatronatus reservare; Actus hic munitus omnibus necessariis, quæ ad perfectam, & validam beneficij erectionem exiguntur, nihil ultra ad sui essentiam, & perfectionem desiderans, ac in implementum eorum, quæ in priori Instrumento pro ipsa erectionis perfectione deficiebant, imperfectus nequam affirmari poterit, proindeque verba*

ba illa Cappellæ, seu jurispatronatus fien. & erigen. nonnisi de ipsa Cappellæ materialitate, non verò de illius formalitate necessariè erunt accipienda; Quod nihil adimit perfectioni, & irrevocabilitati erectioni beneficii, cùm benè simul stare possit, quod ipsa materialis Cappella facienda, & erigenda foret, ipsum verò jurispatronatus irrevocabiliter erectum, & completum existeret: Cùm aliud sit Cappella, aliud verò Cappellania in Cappella, quemadmodum diversificat jurispatronatus Ecclesiæ à jurepatronatus beneficiorum, ut dixit Rot. decis. 1783. n.6. coram Coccino, & optimè probat decis. Reverendiss. Decani sub die 8. Junii currentis anni 8. Quin adversaretur.

Minimè relevante, quod eriamsi actus erectionis ex parte Confratrum pro erectori habitus esse valuerit, adhuc ex parte Ordinarii talis minimè possit dijudicari; ex eo quia consensus per Vicarium praestitus non cadat super reservatione jurispatronatus, sed super sola dotatione beneficii, ad quem effectum duplex consensus necessarius exigeretur, nec unicus sufficeret, & quatenus jure ad utramque extendi valeret, adhuc ejusdem Pro-Vicarii assensus validus reputari nequiverit, cùm agatur de reservatione jurispatronatus in Canonicatu, ad quem effectum specialissima requiratur Episcopi delegatio, quævè sub generalitate demandata jurisdictionis de jure vealre non possit, per ea, quæ docent Peregrin. in prax. Vicar. p.1. sect.2. sub sect.2. n.22. Sbrozz. de offic. Vicar. lib.2. quæst.32. n.1. & qu.117. num.2. Amofazz. de caus. piis lib.5. cap. 5. nu. 36. tom. 2. Frajs. de Reg. Patronat. Indiar. p.1. cap.4. n.14. in fine.

Siquidem neutrum ex prædictis assumptionibus subsistere comperitur. Non primum respiciens consensum Ordinarii adjectum in ea parte Instrumenti, qua expletur dotationem Canonicatus, nullatenus verò repetitum in altera, ubi favore dotantium reservatur jurispatronatus, cùm enim agatur de dotatione ex reservatione jurispatronatus peracta in uno eodemque Instrumento, minimè exiguntur plures, & separati consensus, sed unus pro omnibus satis esse videtur, ut benè explicat Lambert. in contrarium citatus de jurepatronatus lib.1. par. 1. quæst. princ. sub num. 108.

pag. 199. quem refert., & sequitur Rot. in rec. p.11. decis. 107. sub n. 4. & tradunt Sanch. cons. Moral. lib. 2. ap. 3. dub. 48. n.7. infine, & omnium latius Amofazz. de caus. piis dicto lib.5. cap.5. n.42.

31 Et summa quidem ratione, quia jurispatronatus acquisitione promanat ex ipsa constructione Ecclesiæ, seu illius dotatione cum Episcopi consensu peracta, statim ac igitur Episcopus dotationem admisit, lex ipsa ob præmium boni operis Fundatorum favore jurispatronatus præstare, demandat, ut colligi videtur ex cap. Nobis 25. de jurepatronatus, & eo fermè modo, quo olim, qui in operibus publicis de proprio impendebant eisdem debitus honor à Civitate ædificantis nomen operi inscribendo tribuebatur, ut in l. 2. & ultima ff. de operibus publ. ac tradit eruditus Gonzal. in d. cap. à nobis n. 4. Quapropter dotatione beneficii cum Ordinarii auctoritate, & assensu sequuta, ille solus consensus rite quoque deseruit ad reservationem jurispatronatus, qui non ex speciali ipsius Episcopi indulgentia, sed ex ipso favore dotationis beneficii consequitur, ut notant communiter Canonistæ in dicto cap. a nobis de jurepatron. & signanter Abb. notab. primo, & conferunt tradita in cap.3. de Privilegiis in 6., ubi dicitur, quod absente Canonico ex causa studiorum cum consensu Episcopi, novus non exigatur consensus pro laicandis fructibus, sed ille prior consensus pro his satis esse decernitur, & ita in nostris individualibus terminis differendo optimè prosequitur post Gonzalez loco cit. Amofazz. de caus. piis dicto lib.5. cap.5. n. 42.

Ita pariter corruere videtur alterum objectum repositum in parentia auctoritatis Pro Vicarii præfatam erectionem approbantis; facultates enim eidem à Cardinali Abbatे Farfensi elargitæ hujusmodi potestate ipsum prædictum reddiderunt; Inter cæteros namque actus jurisdictionis in literis Provicariatus Generalis à dicto Cardinali traditis præcisè tributa legitur hæc individualis facultas in fundatione jurispatronatus, ejusque erectione consensum, & auctoritatem præstandi. Unde cùm Vicarius ad auctorizandas fundationes jurispatronatus ab Ordinario delegatus literaliter existeret, dubitari nequit

nequit quin idem suam auctoritatem in hoc interponere rite valuerit Rot. in Majoricen. Jurispatronat. 16. Maji §. Haud subfidente, & 28. Novembbris 1704. §. Minime, & 12. Maji. 1705. §. Alter cum seqq. coram bon. mem. Muto, & optimè in Asten. Prioratus super pertinentia 11. Junii 1708. §. Quod autem cor. R. P. D. meo Lancetta.

Quin valeat in aliquo vim facere, quod ageretur de Canonicatu in Collegiata; 33 Quia cùm facultas generaliter fuerit demandata, generaliter eadem venit intellegenda de quacunque approbatione Jurispatronatus etiam in Canonicatibus, cùm etiam Canonicatus veniat appellatione Beneficii Barbos. appell. verb. utriusque jur. appellat. 32. num. 11. Panimoll. decis. 98. annot. 1. num. 2. maximè cùm fundationes Beneficiorum de novo licet sub vinculo jurispatronat. semper dicantur actus favorabiles, ad differentiam quando ageretur de translatione jurispatronatus jam erecti, & fundati, & in hoc casu præsumptio urgere videtur pro facultate sufficienti in Vicario, ut monet Rot. decis. 702. num. 4. coram Buratt. ultra quod in commissione Vicariatus, cùm præter speciale expressionem facultatis approbandi fundationes jurispatronatus fuerint etiam adjectæ aliæ clausulæ valentes comprehendere cætera omnia, quæ speciale, & magis expressam requirerent declarationem; hinc hæsitari nequit, quod veniret hac facultas approbandi fundationes Canonicatum jurispatronatus, cùm omnia specialia commissa censeatur, per ea, quæ ad rem firmanit Sbrozz. de offic. Vicarii lib. 1. qu. 65. num. 5. verj. quia tunc Pellegrin. Prax. Vicar. par. 1. sect. 2. subsect. 2. nu. 71. & 72. Barb. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 54. nu. 154.

Nec obesse poterit, quod Vicarius dote Canonicatui assignatam in instrumento dotationis anni 1620. neque in corporaverit cum redditibus Capituli, neque id faciendi facultate esset donatus. Hic siquidem incorporationis defectus ad Canonicatus perfectionem, illiusque erectionem nullatenus repugnare videtur; potest namque eadem erectione cum dote assignata validè subsistere absque eo, quod dos prædicta cum redditibus

Pars V.

Capituli uniri, & incorporari necessariò teneatur; cùm plures sint Canonicatus, qui suam distinctam præbendam retineant, prout alii tres ejusdem naturæ Canonicatus existunt in hac Collegiata, de qua agitur; Cum materia, & forma Canonicatus consistat in dotatione, & consensu Episcopi, quibus positis Canonicatus dicitur perfectè erectus, & fundatus, nec ullam deinde alterationem admittit, ut dictum fuit supra in §. Cujus quidem, & latè probavit dec. Reverendiss. D. mei Decani in §. Alterum, & §. Dubitari autem non poterat.

Neque minus nullitas primævæ erectionis deduci meretur, ex quo Confratres adiverint Cardinalem Abbatem, à quo asserta Bulla erectionis emanavit, quia si Patroni Cardinalem adiverunt, id factum dici nequit, ex quo cognoverint necessitatem approbationis dictæ erectionis jam factæ, sed vel propter præminentias aliosque effectus, quos Canonicatus jam erectus, & in esse perfecto deductus expectabat, ut puta stallum in Choro, jus habendi vocem activam, & passivam in Capitulo, aliaque similia; vel ad maiorem usque tunc gestorum confirmationem, ut in specie observat Rot. in dicta Asten. Prioratus super pertinentia 11. Junii 1708. §. Nihilque refert coram R. P. D. meo Lancetta.

Verum præter præmissa ex alio etiam jure in Bulla Cardinalis Montalti qualitas Sacerdotalis novo Canonicatui injungi minimè valuit. Id enim redundabat in præjudicium antiquorum Canonicatum jam præexistentium, qui cùm nec de jure, nec de consuetudine particulari Ecclesiæ annexum haberent Ordinem Sacerdotalem, si dictus Canonicatus noviter erectus sub hac qualitate fundatus existeret novus Canonicus præferri utique debuisset aliis Canonicis antiquioribus, etiam si illi Sacerdotes deinde efficerentur juxta Gregorij IX. responsum in c. statuimus de majorit., & obedient. Rot. decis. 214. par. 4. tom. 2. rec. & pluribus cumulatis latè in Romana præcedentia 5. Maii 1710. §. Hujusmodi sanè, §. Quia in aliquo, & §. Ita demum coram me. Cùm igitur ageretur de præjudicio aliorum Canonicorum circa eorum præminentiam, & prælationem, nequiverat sanè Cardinalis

Bb

Abbas

Abbas dictum novum Canonicatum tamquam Sacerdotalem erigere, nisi prævio antiquorum Canonicorum consensu, ut firmat Gratian. *discept. forens. c. 867. n. 16.* & 17., & solidè firmat dec. Reverendiss. D. mei Molines Decani §. Tertium denique fundamentum.

Hinc non solum haud obstare, sed potius retorqueri videtur, quod Cardinalis Montaltus in dicta Bulla adjecerit clausulam *sine alicujus prejudicio*, ex ea namque nedum de jure, sed etiam ex mente ejusdem Cardinalis dicta qualitas Sacerdotialis, uti antiquoribus Canonicis præjudiciale pro non apposita haberi debet; clausula enim prædicta modificationem præsefert Rot. coram Bich. dec. 541. n. 10. præservatque omne, & quodcumque jus alterius, & operatur, ut si quid alteri præjudiciale appositum fuerit, pro non apposito habeatur Maresc. var. ref. lib. 2. c. 137. n. 2. Rot. cor. Dunozett. sen. dec. 123. n. 5. & cor. Ubag. dec. 87. n. 15. & 16. & in rec. dec. 536. n. 102. par. 14.

Minùs ad everendum hoc postremum fundamentum prodesse valebit decretum quoddam Cardinalis Farnesii tunc Abbatis Farnensis, ex quo erui contenditur, quod Canonicatus jam præexistentes dici possent Sacerdotales attenta expressione ab eodem Cardinale facta in additione aliorum duorum Canonicatum, acciò la Chiesa sia officiata da numero sufficiente di Preti. Quoniam ultra illegalitatem dicti decreti veluti informis, & extracti à privato Archivio Canonicorum, quod fidem non facit Rot. dec. 195. n. 11. & 12. par. 9. rec. procedendo tamen per malam hypothesim, quod dictum decretum sit tamquam legale reputandum, adhuc convincere non posset, quod Canonicatus antiquiores sint verè Sacerdotales, dum nomen illud *Preti* non infert necessario, ut 36 indè Canonicatus sint Presbyterales, dum verificari potest etiam de simplicibus Clericis, cùm nomen prædictum *Preti* vulgari sermone prolatum includat omnes illos, qui non sunt Laici, & simplicibus Clericis adaptari valeat, ut in terminis Pignatell. consult. can. 2. n. 6. tom. 1. Rot. cor. Merlin. dec. 825. nu. 12. Ortonen. Benef. 10. Junii 1709. §. fin. cor. R. P. D. meo Polignac., & latè in Melevitana Beneficiorum 16. Junii 1710. §. Ex qualitate,

& §. Neque præmissis cor. R. P. D. meo Falconero, & de verbo Sacerdote novissimè dictum fuit in Melphiten. Beneficii 26. Junii hujus anni §. Hinc non relevat coram R. P. D. meo Priolo.

In prædictorum omnium confirmationem accedit demum subsequuta observantia proxima erectioni Canonicatus, ac asserto diplomati Cardinalis Abbatis; Siquidem primo loco ab eodem Cardinali ad dictum Canonicatum institutus existit Antonius Cretonius simplex Clericus absque ulla expressione peritiæ cantus, & absque pariter decreto, quod intra annum ad Sacerdotium se promoveri curaret, prout opus fuisset in Canonicatu Sacerdotali. Triennio verò postea dictus Cretonius ad instantiam Confraternitatis subivit privationem Beneficii, ex quo non residebat, nec etiam faciebat celebrare Missas, ex hoc autem manifestè consequitur, quod tam Ordinarius, quā Patroni non reputaverint Canonicum esse adstrictum ad assumendum Ordinem Presbyteratus, sed quod verè per alium celebrare potuerit, indè propterea insurgit, ut Beneficium nunquam dici possit Sacerdotale, ut in puncto dixit Rot. cor. Celso decis. 367. nu. 14. & 15. & in rec. decis. 474. sub nu. 4. vers. idq. etiam par. 16. cum aliis in d. Melphiten. Benef. 26. Junii currentis anni 1711. §. Cùm enim Fundator cor. R. P. D. Priolo.

Sequuta postmodum privatione dicti Cretonii, ac in ejus executionem deveñientibus Confratribus ad nominationem Clementis de Benedictis fuerunt tunc ad concursum admissi, ac in scrutinio positi alteri duo Clerici etate minores, & licet electio ceciderit super Clementem Sacerdotem, id tamen non evenit propter dictam qualitatem Sacerdotalem, quia insignitus incedebat, sed quia idem magis idoneus inter cæteros fuit repertus, illius autem nominatio facta tanquam de magis idoneo, satis denotat etiam alios licet simplices Clericos idoneos ad Canonicatum assequendum fuisse reputatos, ut congruè notavit Rot. decis. 137. nu. 11. & 13. cor. Duran. Cùm major idoneitas non ex sola Sacerdotali præminentia, sed ex moribus, & doctrina præstetur, ut in puncto in Ortonen. Benefic. 23. Martii 1708. §. fin. coram R. P. D. meo Scotto, prout

et dda

38 prout nec Beneficium Sacerdotale argui debet ex admissione Sacerdotum ad illud quando etiam simplices Clerici fuerunt ad nominationem recepti, qui cum incapaes reputentur Beneficii Sacerdotalis, ex ipsorum sola admissione pro exclusione qualitatis Sacerdotalis in Beneficio validum præstatur argumentum, ut egregie dixit Rot. in d. Melevitana Beneficiorum 16. Junii 1710. sub §. Observantia coram R.P.D. meo Falconerio, & conferunt etiam deducta in d. Melphicten. Beneficij, 26. Junii 1711. §. Sed neque allegati actus coram R.P.D. meo Priolo.

39 Per renunciationem demum dicti Clementis favore Clerici Josephi Benedicti ejus nepotis, cum evenerit tertia collatio præfati Canonicatus per S. Sedem, non fuerunt Papæ expressæ qualitates Sacerdotis, & Musicæ, nec à Papa fuit appositum decretum, ut provisus intrà annum ad Sacerdotium promoveretur. Itidemque pariter in hac postrema electione facta in personam Josephi Bufalerii ipsi Confratres, inter quos aderat Augustinus colligans pariter pro certo habuisse promanat Canonicatum non esse Sacerdotalem, nec Musicæ peritiam requirere cum in scrutinio alios quatuor Clericos ætate minores, & nulla cantus peritia præditos posuerint cum decreto, ut qui majora consequeretur suffragia electus, & pro electo haberetur, inter quos Joseph selectus cum evaserit, & nominationem reportaverit cum præcisa facultate celebrandi per alium, hæc quemadmodum est exclusiva qualitatis Sacerdotalis Rosa de execut. lit. Apost. par. 1. cap. 6. nu. 179. cum aliis in sè allegata Melphicten. Benef. 26. Junii proximè præteriti §. Cum enim cor. R.P.D. meo Priolo, ita ex ea dijudicari oportet, Canonicatum qualitate Sacerdotali non fuisse gravatum, ac semper pro simplici Clericali inter partes habitum, ut notavit dec. præcedentis instantia in §. Certius autem, cum ex observantia Fundatorum optimè arguatur Beneficium non esse Sacerdotale, sed merè Clericale, juxta plenè cumulata per Rot. in dicta Melevitana Beneficiorum 26. Junii 1710. §. Frustrè coram R.P.D. meo Falconerio, & in mox d. Melphicten. Beneficij §. Et si adhuc coram R.P.D. meo Priolo.

Quicquam in contrarium non relevan-

Pars V.

te contraria observantia, quæ desumitur ex productione diplomatis Cardinalis Montalti sequuta de anno 1692. ac etiam ex relatione ad eamdem Bullam facta in nominatione expleta à Confratribus, ac in sententia super institutione, nec non ex nominatione, ut plurimum sequuta in persona actu Sacerdotum, his enim omnibus, congruè satisfactum legitur in dec. Reverendis. Decani in §. Nec præadducta, cum quibus etiam hodie Domini pertransierunt; Et ulterius addi potest, quod relationes habitæ ad dictam Bullam, illiusque productio potuit verificari in his, quæ respiciunt alios effectus, qui ex intervallo, & post actum plenè completum potuerint ab Ordinario sancti, non autem qualitates Sacerdotis, & cantus, qui cum sapient alterationem primævæ erectionis sicuti nequierunt ab eodem apponi, ita ex productione validæ effici non valuerunt. Tantò magis, quod hoc non obstante Canonicatus numquam sub præcisa condizione se promoveri faciendi intrà annum fuit simplicibus Clericis collatus, quin imò Confraternitas ad eundem nominavit Josephum cum facultate celebrandi per alium. Provisiones verò, seu nominationes ex accidenti sequutæ in persona aliorum actu Sacerdotum, cum non doceantur coactæ expletæ, ac sub hac præcisa qualitate, non arguunt Beneficium esse Sacerdotale, ut in terminis ultra allegat. in dec. Causæ d. §. Nec præadducta observantia in fine, Vivian. de jure patronat. par. 2. lib. 6. cap. 6. n. 37. & seqq. cum aliis in Melevitana Beneficior. 16. Junii 1710. §. Observantia cor. R. P. D. meo Falconerio.

Et ita omissis reliquis, quibus fusè, & solidè satisfecit decis. Reverendis. D. mei Decani emanata sub die 8. Junii proximè præteriti, & quam in reliquis Domini hodie approbarunt sub utriusque partium valido certamine pro processu ad legitimam executionem literarum Apostolicarum Josephi responsum emanavit.

## ARGUMENTUM.

Reperto ex intervallo instrumento fundationis Cappellaniæ, si in eo legatur impositum Cappellano solum onus officiandi unum Altare pro Anima Fundatoris, & nulla fiat mentio de onere celebrandi Missam, an Cappellanus teneatur continuare in celebrazione Missarum pro Anima ejusdem Fundatoris, vel potius hac omissa; recitare D. Officium in Choro cum Canoniceis.

## SUMMARIUM.

- 1 *Imposito onere Cappellano in limine fundationis officiandi unum Altare pro Anima Fundatoris, idem Cappellanus tenetur Missam celebrare pro Anima ejusdem Fundatoris.*
- 2 *Verbum officiare est equivocum, & sumi potest pro recitare Psalmos, & pro celebrare Missas.*
- 3 *Quando sumatur pro celebrare Missas? Vide ibi, & n. 4.*
- 4 *Anima majus suffragium recipit à celebrazione Missarum, quam à recitatione horarum Canonicarum.*
- 5 *Si reperiatur instrumentum Fundationis, & Beneficiatus non sit qualificatus ad formam illius; an ipse vigore suæ provisionis possit retinere dictum beneficium, vel potius indigeat dispensatione, quæ dicitur perinde valere, & an hæc sit ei concedenda.*
- 6 *Cappellanus tenetur deferre Pluviale, & observare alia onera in Tabellis praescripta, quando non reperitur instrumentum fundationis eorumdem onerum exclusum.*

## C A S U S II.

**E**xpositus fuit in S. Congregatione Concilii sequens Casus. Editis anno 1525. ab hac Sacra Congregatione

notissimis Decretis de celebratione, & reductione Missarum, Capitulum Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii Florentiæ compositum ex Cappellanis triginta tribus distributionum participantibus, aliisque sexdecim non participantibus, sed præbendam omnibus habentibus scutor. 15., supplicavit die 12. Januarii anni 1630., ut Missæ, quas dicti Cappellani sine applicatione, aliisque receptis eleemosynis celebrabant, reducentur ad manualem eleemosynam juxta reddituum proportionem cuiuscumque Cappellaniæ, cum onere Cappellanis illas pro Fundatoribus applicandi, & facultate pro reliquis Missis eleemosynam recipiendi; quæ instantia remissa fuit arbitrio, & conscientiæ Archiepiscopi Florentini. Iste autem expensis Cappellaniarum redditibus, de quarum fundatione non constabat, certum numerum Missarum pro Fundatoribus applicandarum per Cappellanos præfixit, & inter cætera mandavit, ut Cappellanus Cappellaniæ Conceptionis B. M. V. Missas biscentum triginta, ut supra celebraret; Modernus Cappellanus fundationem ejusdem Cappellaniæ in præsens producit, in qua Angela Fundatrix per actum donationis inter vivos expletum ab anno 1458. mandat eligi unum Cappellatum Ecclesiæ S. Laurentii ad officiandum, & qui officiare debeat in dicta Ecclesia unum Altare, seu Cappellam initulatam sub nomine Conceptionis B. M. V. pro Anima dictæ Agnolette &c., ut faciunt Cappellani dictæ Ecclesiæ S. Laurentii in Cappellis dictæ Ecclesiæ &c., & etiam cum paço, quod Cappellanus sic eligendus teneatur, & debeat facere quolibet anno in perpetuum duo Anniversaria, seu Officia pro Anima dictæ Agnolette &c. in die Festo Conceptionis V. Mariae, & alium in die sequenti, in quibus Anniversariis celebrentur una Missa canenda, & viginti Missæ planæ pro quolibet =. Prætendit Cappellanus abolendum esse onus Missarum biscentum triginta modo, & forma, quibus supra impositum ea præcipua ratione, quia verbum *Officiare*, potius Sacram Psalmodiam Chori in Horis Canoniceis, quam celebrationem Missarum denotet; Disputatum proinde fuit dubium = An, & ad quæ onera Missarum, & Anniversariorum, & ad eorum applicationem pro Fun-

Fundatrix Cappellanus orator teneatur.

- 1 Studens in hac Causa meum aperiendo vōtum sentiebam, dictum Cappellanum teneri ad duo Anniversaria, & ad Missas ad formam Decreti Archiepiscopi; & nullatenus hæc onera adimplere omittere posse; Cappellania namque hujusmodi non solum habet annexum onus duorum Anniversariorum quolibet anno, verum etiam habet onus celebrandi Missas ad Altare Sanctissimæ Conceptionis, dum Fundatrix voluit quod Cappellanus Officiare debeat in dicta Ecclesia Collegiata S. Laurentii unum Altare, seu Cappellam intitulatam sub nomine Conceptionis B. V. Mariæ pro ejus, suorumque Animabus, ut faciunt alii Cappellani dictæ Ecclesiæ S. Laurentii in dictis Cappellis dictæ Ecclesiæ, & debeat facere quolibet anno in perpetuum duo Anniversaria, seu Officia pro Anima &c. Verbum,
- 2 autem Officiare cùm sit æquivocum, & sumi possit tam pro recitare Psalms, quam pro celebrare Missas, cum nomine Officii veniant ordinata tam in Breviario, quam in Missali, concurrunt hic quamplures conjecturæ, quæ verisimiliter suadent Fundatricem voluisse sumere verbum Officiare, pro celebrare Missas.

- 3 Prima conjectura est, quia verbum Officiare fuit directum à Fundatrice non ad Ecclesiam, ad cujus Altare majus recitantur horæ Canonicae, sed particulariter ad Altare Sanctissimæ Conceptionis; etenim si nomine Officiare intellexisset Fundatrix recitare horas Canonicas, non autem celebrare Missas, illud direxisset ad Ecclesiam Collegiatam, & non ad particulare Altare; aliás cùm etiam manda- verit, quod suus Cappellanus officiare Altare Sanctissimæ Conceptionis, ut faciunt alii Cappellani dictæ Ecclesiæ Sancti Laurentii in Cappellis ejusdem Ecclesiæ tot essent Chori, quot Cappellæ, seu Altaria.

- 4 Secunda est, quia voluit, quod Cappellanus officiaret Altare pro Anima sua, ac suorum, adeout intendit suffragium Anima; majus autem suffragium Anima recipit à celebratione Missarum, quam à recitatione horarum Canonistarum. *Amo- staz. de Caus. piis lib.2. cap.3. n.4. & seq. Pignattell. consult. Canonic. 139. num.11. & 13. tom.1.*, & consequenter nomine

Officiare Altare, voluit celebrationem Missarum; Et ita resolutum fuit ab eadem S. Congregatione in Florentina Abolitionis oneris 11. Decembbris 1717. *2000*

5 Supponamus, quod simplex Clericus ætatis viginti annorum e. g. obtinuerit Beneficium A, obtineri solitum à simplicibus Clericis ea ætate constitutis: si deinde reperiatur Instrumentum fundationis, & ibi legatur, quod dictum beneficium sit actu Sacerdotale, sit residentiale, & requirat ætatem triginta quinque annorum; queritur an Præfatus Clericus non qualificatus ad formam fundationis, possit retinere dictum beneficium, vigore suæ provisionis, vel potius indigat dispensatione, quæ dicitur *Perinde valere*, & an hæc sit ei concedenda?

Respondeo non posse præfatum Clericum vigore suæ provisionis retinere dictum beneficium, utpote non qualificatum ad formam hujus fundationis, sed indigere dispensatione, quæ dicitur *Perinde valere*; & hanc esse ei in hoc casu concedendam, attenta ejus bona fide, qua fuit adeptus possessionem beneficii, nec non præcedenti observantia, qua ejusdem Prædecessores in statu solius Clericatus id Beneficium sunt assequuti, & in ætate minori, quam annis triginta quinque; ac attento, quod nullus existat contradictor, ut in terminis hujus casus resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in Parmen. dispensationis 12. Aprilis 1710.

6 Supponamus è contra, quod non reperiatur Instrumentum fundationis Cappellaniæ erectæ e. g. in Ecclesia Cathedrali; & Cappellanus renuat adimplere onera ab Episcopo in Tabellis præscripta; & usque adhuc ab omnibus Cappellani pro tempore observata, eo præcipue fundamento, quod in aliis fundationibus Cappellaniæ erectarum in eadem Cathedrali dicta onera non inveniantur; Quero an idem Cappellanus teneatur observare eadem onera in dictis Tabellis demandata?

6 Respondeo affirmativè, quia cum non inveniatur instrumentum fundationis, & Tabellæ fuerint continuo ab omnibus Cappellani pro tempore observatis, non est proinde permisum moderno Cappellano se à prædictis oneribus in Tabellis

præ-

præscriptis eximere; ut novissimè resolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in Callien. 4. Martii 1719. ubi mos est antiquus Ecclesiae Calliensis, quod sicut Tabellæ, tum pro diebus, in quibus Sacerdotes debent deferre Pluvialia, tum pariter pro diebus, & horis, in quibus Missæ sunt celebrandæ, cum autem Patroni cuiusdam Cappellaniæ sub invocatione S. Bernardini in Cathedrali Ecclesia Callensi erectæ contenderent Cappellanum à se nominatum non teneri deferre Pluviale certis diebus, & celebrare certis pariter diebus, & horis præscriptis, uti demandatum fuit ab Episcopo in Tabellis pro regulanda officiatura ejusdem Cathedralis exaratis inter cetera, eo sub motivo, quod licet non inventiatur fundatio dictæ Cappellaniæ, ad sunt tamen alia fundationes aliarum Cappellaniarum, in eadem Ecclesia erectarum, in quibus recensita onera non inveniuntur; hoc tamen non obstante, fuit injunctum eidem Cappellano deferre Pluviale, & Sacrum celebrare certis diebus, & horis præscriptis in Tabellis.

## ARGUMENTUM.

An Religioso concedenda sit facultas mutandi dispositionem, & reservationem Jurispatronatus factam de tempore Novitiatus, accedente consensu illius, favore cuius reservatum fuit Juspatronatus.

## SUMMARIUM.

- 1 Pontifex concedere potest Regularibus facultatem disponendi, & mutandi dispositionem ab ipsis in saeculo factam.
- 2 Referuntur exempla, quibus hujusmodi facultas disponendi fuit Regularibus concessa.
- 3 Moniali post demandatam in saeculo foundationem Cappellaniæ propriis bonis post suum obitum erigendam non est concedenda facultas mutandi, & disponendi de iisdem bonis favore sui Monasterii. Intellige, ut n.7.

- 4 Regulari non est concedenda licentia revocandi testamentum ante Professionem ab ipso conditum, bæredem relinquendo suum Monasterium; Intellige, ut n.8.
- 5 Religioso est concedenda facultas mutandi antiquam dispositionem, & reservationem jurispatronatus factam de tempore novitiatus, quando nova dispositio est rationabilis, & nemini prejudicialis.
- 6 Commutatio voluntatis solet à Summo Pontifice permitti, non obstante Tertii prejudicio merè eventuali, & incerto.

## C A S U S III.

**T**Res, quædam Monialis, dum erat in Novitiatu, & ante Professionem, instituit Cappellanias, & jus ad eas nominandi sibi reservavit, & post suum obitum jus illud detulit ad nonnullos suos consanguineos, quibus deficientibus ad Patrem Rectorem Collegii Societatis Jesu, Civitatis A, absque eò, quod tamen Ecclesiam expresserit, in qua Cappellani deberent Missas celebrare. Cupit modò eadem Monialis, ut à Summo Pontifice sibi indulgeatur facultas disponendi, primo, quod Cappellani nominandi deberent esse ex suis Consanguineis intrà quartum gradum, & in eorum defectu, ex pauperioribus, & magis egenis Sacerdotibus, suo Monasterio inservientibus; Secundò, quod Missæ semper in Ecclesia sui Monasterii celebrarentur; & tertio, quod jus nominandi Cappellanos deferretur ad ejusdem Monasterii Abbatissam, subdendo Patrem Rectorem Collegii Societatis Jesu se promptissimum, & paratissimum exhibere ad renunciandum pro se, suisque successoribus juri nominandi sibi met, vel successoribus suis deferendo post obitum dictæ Monialis. Quo casu quæritur an eidem Moniali concedenda sit hujusmodi facultas?

- 1 De Potestate Pontificia, seu quod Summus Pontifex possit concedere Regularibus facultatem disponendi, & mutandi dispositionem ab ipsis in saeculo factam, nulla est hesitatio; quia cum tota prohibito disponendi tam inter vivos, quam in ultima voluntate quoad Monachos, & Moniales descendat à jure positivo, nimirum à Textu in authentica ingressi C. de Sacrosanctis Ecclesiis, & à cap. quia ingredi-

dien-

dientibus de Testam. Summus Pontifex sua Auctoritate hanc prohibitionem tollere, & juri positivo derogare valet, ut patet 2 pluribus exemplis, & casibus in S. Congregatione Concilii ventilatis, præsertim in quadam causa Florentina 13. Julii 1686., ubi eadem Congregatio indulxit Fratri Camillo Lando ordinis S. Augustini, ut accedente consensu Fratrum sui Conventus renunciare posset juribus sibi competentibus super quadam domo favore sui Fratris germani; & in alia causa Limana 27. Junii 1699. concessit cuidam Moniali, ut de certa quantitate disponeret, cuius dispositionem sibi reservaverat in Testamento, quod fecerat antè Professionem; Difficultas stat in voluntate, seu an Summus Pontifex debeat, & soleat hujusmodi facultatem Regularibus concedere.

Negativam responsonem suadent quamplures Resolutiones Sacra Congregatio-nis Concilii, quibus apparent consimiles 3 petitiones reje&tæ; In quadam enim cau-sa Toletana die 8. Julii 1668. Sacra Congregatio negativè respondit petitioni cu-jasdam Monialis Sanctæ Claræ, quæ post demandatam in suo testamento, quod in sèculo condiderat, Cappellaniæ funda-tionem post suum obitum erigendam, & ad quam suos vocaverat Consanguineos, postulabat facultatem de iisdem bonis 4 disponendi favore sui Monasterii. Item in quadam Causa Bononien. die 25. Febr. 1679., & die 23. Augus. 1692., eadem Sacra Congregatio noluit concedere li- 7 centiam revocandi testamentum cuidam Regulari, qui ante Professionem illud condiderat, hæredem relinquendo suum Monasterium, licet ageretur de Professo inter Jesuatos, & licet ordo Jesuorum, tempore petitionis, fuisset jam suppres-sus à Summo Pontifice Clemente IX.

His tamen non obstantibus in quadam causa Toletana proposita in Sacra Congregatione Concilii, ubi similis casus dis-putabatur, sentiebam esse annuendum petitioni præfatæ Monialis, prævia tamen renunciatione juris nominandi facienda per Præpositum Generalem; Supradicta namque nova dispositio, quam eadem Monialis vellet explere, est rationabilis, quia per eam consultur Ecclesiæ proprii Monasterii, quæ non habet sufficientem

numerum Missarum, non est ulli præjudi-cialis, non quidem Consanguineis, qui-bus reservatum fuit jus actiuum nomi-nandi, quia isti jam decesserunt, nec est præjudicialis juri passivo, quia istud nulli fuit in prima dispositione reservatum; neque præjudicium infert alicui Eccle-siæ, quia in eadem prima dispositione non fuit expressa Ecclesia, in qua Missæ essent celebrandæ.

Non officit, quod si concedatur facul-tas deveniendi ad dictam novam disposi-tionem, præjudicetur Rectori Collegii Societatis Jesu; quia in primis hujusmo-di concessio est permittenda prævia re-nunciatione juris nominandi facienda per Præpositum Generalem; dcinde cum jus nominandi Cappellanos vigore primæ dis-positionis devolvatur ad Patrem Re-ctorem post obitum dictæ Monialis, non agitur de jute quærito eidem Patri Re-ctori, sed quærendo, & consequenter præjudicium illud generale, quod subori-tur ex nova reservatione juris nominandi Cappellanos favore Abbatissæ, non est considerabile, sed eo non obstante per-mitti solet à Summo Pontifice commuta-tio voluntatis. Gabriel. conf. 183. n. 19. & seq. lib. 2. Card. de Luc. de Testam. dict. 87. n. 4. vers. ac etiam, Rot. in Gerunden. Applicationis 14. Junii 1706. S. Levioris, coram Reverendissimo Molines. Et ita re-solutum fuit ab eadem Sacra Congre-gatione Concilii in dicta Toletana 7. Maii 1718.

Contrariae verò resolutiones supra re-latæ num. 3. & 4. non obstant; Prima namque processit, quia oratrix ad muta-tionem dispositionis deveniebat non tam ex amore erga suum Monasterium, quam ex odio concepto adversùs consan-guineos; Secunda autem habuit ori-ginem, ex eo quia in ea causa, nè dum aderat præjudicium Monasterii hæredis instituti in primo Testamento, cuius bo-na, & jura ad Sedem Apostolicam erant devoluta, sed ulterius Papa Religionem supprimendo, Professis permiserat transi-tum ad aliam Religionem, & quatenus in sèculo permanissent in habitu Clericali, præstationem ex redditibus Monasterii assignaverat; ut colligitur ex eisdem re-solutionibus in dictis Causis editis.

AR-

## ARGUMENTUM.

Papa an, & quando soleat pias Fundatorum, aut Testatorum voluntates commutare?

## SUMMARIUM.

1. Papa potest Pias Defunctorum voluntates commutare; etiam absque causa, de plenitudine potestatis, ut n. 2.
3. Ex aequitate non solet commutare dictas voluntates, nec statum beneficiorum alterare sine justa, & necessaria causa; & num. 7.
4. Erectio Canonicatus commutari solet; in erectionem simplicis beneficii, quando sequi non possit ob dissensum Capituli. Limita, ut n. 9.
5. Ex impossibilitate exequendi legatum permittitur illius commutatio.
6. Ex subsidiis relictis à Testatore Puellis in certis permitti solet, ut desumantur nonnulla, & applicentur Puellæ egenæ, & Consanguineæ Fundatoris, ad effectum se monachandi.
8. Enumerantur casus in quibus denegata fuit commutatio ultimarum voluntatum; & num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

## CASUS IV.

**A**D materiam hujus *Canonis* utile existimavi enumerare nonnullos casus, in quibus Summus Pontifex piis Fundatorum, aut Testatorum voluntates commutavit, & in quibus hujusmodi commutationem denegavit.

1. Nullatenus est ambigendum, quod Papa possit piis Defunctorum voluntates commutare in alia opera itidem pia; ita enim ex *Clement.* quia contingit in princip. de Relig. domib. tinentur omnes Canonistæ, quos refert *Mart. de jurisdict. par. 4.* cas. 74. num. 4. *Mandos. in prax. signaturæ Gratiae verb. commutatio ultima voluntatis, vers. plures, Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 5. n. 144.* *Fagnan. in cap. nos. quidem de testam. n. 36. & 40. cum seqq. Barbos. de univers. jur. Eccles. lib. 3. cap. 27.*

n. 57. *Amofaz. de caus. pii cap. 14. lib. 1. num. 1. cum seq. Card. de Luc. de testam. disc. 72. n. 14. Rot. coram Buratt. disc. 883. num. 1.*

2. Sed idem Summus Pontifex licet de plenitudine potestatis, absque ulla causa, hujusmodi commutations permettere possit juxta *Fagnan. in dicto cap. nos quidem n. 36. de testam. Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 15. num. 3.* *Amofaz. de caus. pii dicto cap. 14. num. 4.*, tamen ex summa ejus iustitia, & aequitate sine causa justa, & necessaria commutare, vel derogare Testatorum voluntatibus, statumque beneficiorum alterare non debet, nec solet. *Fagnan. in d. cap. nos quidem n. 36.*, indè est, quod Concilium Tridentinum cap. 6. sess. 22. de reform. statuit quod commutations ultimarum voluntatum non nisi ex justa, & necessaria causa fieri debent, ibi ≡ *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa, & necessaria causa fieri debent &c.* ≡

Ut igitur deveniatur ad hanc commutationem, requiritur justa, & necessaria causa, quæ si concurrat, Papa certò equidem solet commutare, & derogare voluntatibus Testatorum. Sic commutatio erectionem Canonicatus demandatam à Testatore cum reservatione jurispatronatus activi, & passivi favore nonnullarum Personarum in erectionem simplicis Beneficii, aut Mansionarum cum reservacione ejusdem Jurispatronatus, quando erectione Canonicatus sequi non potest ob dissensum Capituli Cathedralis capitulariter præstitum, ut appareat ex resolutione S. Congregationis Concilii in *Aretina declarationis*, seu *commutationis voluntatis* 9. Novembris 1698. confirmata 19. Februarii 1701, & in *Maceraten. Commutationis voluntatis* 30. Augusti 1704.

4. Relictis à Testatore nonnullis bonis cum onere erogandi eorum redditus ascendentibus e. g. ad annua scuta centum, uno anno, investiendis tot pauperibus, altero anno, in dotanda puella paupere, & egena matrimonium contrahere, volente, fuit derogatum voluntati Testatoris, & fuerunt applicati redditus illius anni, in quo fieri debebat erogatio dotis, cuidam Poellæ ad effectum se monachandi, attentis hujus paupertate, & consanguinitate cum eodem Testatore, ut ex resolutione

solutione ejusdem S. Congregationis in Cusentina sub/sdii dotalis 7. Febr. 1711.

5. Stante impossibilitate exequendi Legatum, permittitur illius commutatio, uti permissa fuit in Salisburgen. *commutationis voluntatis 1. Junii 1715.*, ubi injuncto per Comitem Bennum de Martiniz Præpositum Wissegradensem onere, suo hæredi, vendendi propriam domum Pragæ, & pro pecunia alias duas levioris pretii Neopragæ ad Wissegrad emendi, & in illis duodecim Nobilibus Bohemis studiosis sub directione alicujus Regentis nudam, liberam habitationem tribuendi; cùm hoc legatum nunquam fuerit exequutum, neque erat exequibile, eo quod nullus ex nobilitate Bohema in longo annorum curriculo repertus fuit, qui vellet puram habitationem habere in prælibata Civitate Neopragæ, ubi nulla sive vicinarum Scholarum, sive exercitiorum equestrium commoditas est, nullusque Regens inventus fuit, qui sine ullo stipendio tantum onus subire sit paratus; fuit proindè commutatum in manutentionem tot Alumnum in Domo Salisburgensi, vel in alia Domo Clericorum in commune viventium.

6. Ex subsidiis dotalibus, relictis à Testatore Puellis incertis ad effectum nubendi in sæculo, vel in Domino, permitti solet, ut defumantur nonnulla, & applicentur pro commoditate Puellæ, quæ sit sanguine conjuncta cum Testatore, & sit pauper, ut ipsa Monialis effici possit, ut fuit permisum in Romana, seu Sabinen. *sub/sdii dotalis 24. Aprilis 1717.*, & in Romana dotum 24. Septembri 1718.

7. E' contra deficiente, & non concurrente justa, & necessaria causa Summus Pontifex has piorum Testatorum voluntatum commutations, & derogationes, irritat, atque denegat.

8. Sic si redditus pro Vestiario Pauperum à Testatore destinati erogentur, commutentur, aut applicentur ab Episcopo pro reparatione, seu nova constructione Frontispitii. Ecclesiae Cathedralis, talis commutatio, & applicatio non sustinetur, præsertim si forma Frontispitii ex operibus voluntariis appareat magis ornata, quam ipsius Fabricæ necessitas exquirat, & Legatum Vestiarii est reintegrandum, ut definitum fuit à sspè dicta S. Congre-

*Pars V.*

gatione in Gerunden. *Commutationis voluntatis 25. Septembri 1700. ad secundum, & tertium.*

9. Non solet Summus Pontifex commutare erectionem Canonicatus à Testatore demandatam cum reservatione Jurispatronatus, in erectionem simplicis Beneficii, seu non solet loco præbendæ Canonicalis permettere erectionem beneficii simplicis, ex eo, quod Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ renuant assentiri erectioni Canonicatus, attenta tenuitate Capitalis assignati pro distributionibus quotidianis, quando dictum Capitale ex redditibus ab eodem Testatore relictis possit augeri, ut fuit dictum in *Placentina Commutationis voluntatis 18. Febr. 1702.*

10. Relicto à Testatore Capitali magnæ pecuniarum summæ cum onere erogandi tertiam partem fructuum illius pro alimentis trium Adolescentium Theologiarum studentium; aliam tertiam partem in redemptionem captivorum, vel subsidium alicujus Judæi Catholicæ fidem amplectentis, & aliam tertiam partem pro dotandis tribus honestis Puellis, non solet Summus Pontifex suspendere istud Legatum in totum, & omnes illius redditus exigendos spatio alicujus temporis applicare, & assignare pro sub/sdio dotali pauperum Puerarum etiam ejusdem Testatoris consanguinearum, in piæmentis Testatoris, & aliorum vocatorum præjudicium, ut similis suspensio, & applicatio legati denegata fuit in *Aquilana Commutationis voluntatis 16. Junii 1703. confirmata 28. Julii ejusdem anni.*

11. Disposito à Testatore, ut de omnibus suis bonis intrà biennium erigeretur Conventus Ordinis S. Francisci Fratrum Recollectorum, quo infra biennium non erecto, infra aliud biennium construi deberet Monasterium Monialium Minimarum S. Francisci de Paula, quo pariter non fundato fieret coequalis divisio ditorum bonorum inter certum Hospitale; & quædam Eremitoria. Si neutrum ex dictis Monasteriis fuerit erectum intrà tempus statutum ob denegatum assensum regium, & oppidanorum, non debet permitti commutatio istius Legati in erectionem novi Monasterii alterius Religionis, sed Bona à Testatore relicta sunt consignanda, & restituenda tertio loco vocatis,

Cc

tis,

- tis, nimirum Hospitali, & Eremitoriis supradictis, & inter ipsa sunt æqualiter dividenda, ut similis commutatio denegata fuit in Giennen. *Commutationis voluntatis 12. Januar. 1704.*
- 12 Legatum à Testatore relictum pro dantibus duabus, vel tribus Orphanellis in Monasterio Orphanellarum degentibus, commutari non debet in Alimoniam tot Puellarum Orphanarum Monialium, ut fuit rescriptum à dicta Sacra Congregatione in Tarentina *Commutationis voluntatis 21. Aprilis 1708.*
- 13 Legatum à Testatore relictum pro erectione Monasterii duodecim Monialium S. Claræ cum reservatione Juris nominandi Puellas ibi monachandas favore suorum hæredum, non fuit commutatum in manutentionem Alumnorum Seminarii, aut Collegii, non obstante dissensu Episcopi, ac non obstantibus quampluribus difficultatibus ab eo oppositis contra erectionem ejusdem Monasterii, nimirum, quod domus à Testatore designata pro Monasterio erigendo erat jam à suis Dominis distracta, quod incongrua videbatur nominationis Puellarum reservatio Laicis juxta decisiones 265. 321. & 336. coram Cavaler., quod aliud desideretur capitale pro suppellestibus Ecclesiæ exterioris, & manutentione ministeriorum ipsius Ecclesiæ, & Monasterii, ad quorum provisionem prætendunt dicti hæredes se non teneri, & quod in eodem loco vigeant quinque Monialium Monasteria, inter quæ sub eadem regula S. Claræ; sed injunctum fuit Episcopo, ut incumbenter erectioni Monasterii, ut fuit resolutum in Cæsenaten. *Commutationis voluntatis 5. Maii 1708.*
- 14 Ob insubstantiam causarum adductarum fuit denegata commutatio Legati relicti pro fundatione, & erectione Oratorii, seu conservatorii Puellarum, in erectionem Collegiatæ in Cremonen. *Commutationis voluntatis 7. Decembbris 1709.*
- 15 Requisitus in limine fundationis beneficii oneribus actualis Sacerdotii, celebrandi per se ipsum, ac inhabitandi in Domo hæreditaria Fundatoris, fuit denegata simplici Clerico ad dictum beneficium præsentato dispensatio suscipiendi Sacerdotium infra annum, & inhabitandi dictam domum, ac denegata fuit facultas

celebrandi per alium in Regien. dispensationis 24. Maii 1710. Fuit etiam denegata erectione Legati Missarum à quodam pio Testatore relictarum in Beneficium Ecclesiasticum, non obstante quod Testator voluerit Cappellatum ad ejusdem Legati Titulum promoveri posse in Romana Cappellania 14. Junii 1710.

17 Insuper non fuit permissa commutatio celebrationis Missæ ab una Ecclesia ad aliam ex causa, & eo fine, ut Populus illeactus occasione audiendi sacrum in hac alia Ecclesia, inibi quoque eodem tempore perciperet Catechesim rudimentorum Fidei, quæ de mane ibi habetur, antequam Sacrum incipiat in Ariminum. *commutationis Missæ 14. Martii 1711.*, confirmata 13. Junii ejusdem anni. Sicuti non fuit permissa commutatio, seu translatio celebrationis Missæ à Testatore demandata in una Ecclesia ex devotione erga ipsam, ab ea, ad aliam Ecclesiam ex causis minus legitimis, & necessariis, nimirum propter incommoditates itineris, perquirendi Clavem Ecclesiæ, quæ modò sit apud unum, modò apud alium, & inventi ab Ecclesiis distantibus lumen, vinum, aquam, & cætera necessaria pro celebratione Missarum, & propter angustiam Ecclesiæ, ubi Missa fuit demandata in Casalen. *Commutationis voluntatis 24. Septembbris 1718.*

19 Denique fuit denegata applicatio dotium usui, & commoditati Ecclesiæ doctantis ad eam reversarum, eo quia dotata matrimonium contraxit, sed decessit absque liberis, vel quia Puellæ dotatæ nolunt, aut non possunt nuptias contrahere aut in sæculo, aut in Domino, sed illæ dotes reversæ sunt iterum distribuendæ Puellis in sæculo, vel in Domino nupturis juxta mentem Fundatoris; in Romana dotium 24. Septembbris 1718.

## ARGUMENTUM.

Erectio Cappellaniæ facta ab Episcopo diverso modo ab eo, quo fuit dispositum à Fundatore, est reformanda ad formam dispositionis ejusdem.

## SUMMARIUM.

- 1 Negligente hærede, aut Patrono, adimplere voluntatem Fundatoris, Episcopus devenerit valeat ad illius adimplementum.
- 2 Cappellania erecta in titulum perpetui beneficii contra voluntatem Fundatoris volentis illam esse amovibilem, est reformanda in Cappellaniæ amovibilem ad formam testamentaria dispositionis.

## C A S U S V.

**R**elatum fuit in Sacra Congregatione Concilii in Eysina Cappellaniæ 22. Aprilis 1719., quod anno 1672. Joannes Jacobus de Ambrosiis à fundamentis extruxit in Castro Rosorii Ecclesiam in honorem S. Ambrosii, emissa jurata promissione de eadem dotanda, in cuius obligationis executionem die 8. Octob. 1695. pro dote assignavit Prædium in vocabulo li Pratelli, cuius annui redditus scutorum circiter 50., percipi deberent à Cappellano, cui fuit impositum onus celebrandi per se, vel per alium quatuor Missas qualibet hebdomada. Et in eo, quod attinet ad Juspatronatus aëtivum, illud reservavit pro sua, & descendientium masculorum à Sindulpho Germano Fratre Familia in infinitum; in eoque quod spectat ad Juspatronatus passivum, ad illud vocavit Sacerdotes, & Clericos, ex predictis Familiis, quatenus adessent, in qua hypothesi statuit, quod nominatus amoveri non posset, & quatenus ex dictis Familiis Clerici, aut Sacerdotes non adessent ita ut exteri essent præsentandi, tunc voluit, quod Præsentatus esset amovibilis ad beneplacitum Patronorum, cumque voluerit se subjecere predictis legibus, & sibi per consequens plenam asse-

Pars V.

ruerit libertatem in præsentando, nominavit, & præsentavit ad Cappellaniam quendam suum consanguineum Vincentium Durellum Monachum ordinis Cisterciensis Romæ commorantem, quatenus à Sede Apostolica dispensationem obtinuisse, & facultatem transeundi ad ordinem Cluniacensem, huncque à se nominatum voluit, quod Rector esset, & perpetuus Cappellanus.

Paulò post assignationem dotis, Johannes Jacobus è vita decepsit, cùmque nominatus, seu præsentatus ab ipso propter incapacitatem à statu Monachali derivantem, Cappellaniam obtinere non potuerit, non fuit ab hæredibus facta instantia pro erectione Beneficij; quo circa accidente Episcopo Æsino ad visitationem Castris Rosorii anno 1697., post facta nonnulla Decreta, tam quoad quamdam januam, per quam habebatur ingressus in Ecclesiam à Joanne Jacobo extructam, quā quoad supellectilia Altaris, fuit ab eodem præfixus terminus duorum mensium hæredi ad petendam erectionem Beneficij, & provisionem Rectoris, ipso que negligente adimplere mandata intrà tempus præfixum, instantे Promotore Fisci, Episcopus declaravit, Beneficium esse ad se devolutum, illudque auctoritate ordinaria erexit, & instituit in beneficium perpetuum, imposta Cappellano obligatione celebrandi quatuor Missas qualibet hebdomada, juxta ea, quæ fuerunt à Fundatore præscripta, & Cappellaniam contulit Sinibaldo Durello Germano fratri Patris Vincentii Durelli, qui præsentationem, uti diximus, à Fundatore reportaverat.

Sinibaldus immisus fuit in possessionem Cappellaniæ die 19. Septembri 1699. sed mortuo Patre Vincentio Durello anno 1713., delataque hujus mortis notitia ad Philippum de Ambrosiis, fuit ab hoc tamquam Patrono nominatus ad Cappellaniam Nicolaus Bartolinus, exortaque inter hunc, & Sinibaldum controversia, post prolatam à Vicario Æsino sententiam favore Sinibaldi, inter cætera disputatum fuit in Sacra Congregatione sequens dubium = An erectio Cappellaniæ S. Ambrosii Castris Rosorii ad titulum perpetui beneficij sit reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra familiam

C c 2 liam

*liam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem*  $\equiv$ .

Putabat Sinibaldus Cappellaniā Sancti Ambrosii erectam in titulum perpetui Beneficii non esse reformandam in Cappellaniā amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris, non obstante ejusdem voluntate. Etenim negligente hærede, & Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, dum interpellatus ab Episcopo in visitatione anni 1697., & expectatus per biennium semper renuit erectionem petere beneficii, nominationem Rectoris explere, Missas celebrare, aut celebrari facere, nec non suppellestilia, aliaque necessaria præstare, ob tantam Patroni negligentiam, & contraventionem, justè potuit Episcopus devenire ad erectionem Cappellaniæ, & eam efficerē simpliciter perpetuam, cum ad ipsum spectet omnium Beneficiorum suæ Dicēcēsis institutio, & fundatio, nec absque ejus assensu ea fundari possint, juxta dispositionem *Canonis XXVIII. Part. II.*, & Auctoritates ibi in *Commentario* relatas; quæ eratio est attendenda, & prævalere debet cuicunque dispositioni Fundatoris juxta superius firmata dicta *Part. II. Can. I. & II. Caf. VII. num. 9.*

2 Ego verò studens in hac causa, meum aperiendo sensum, censebam supradicto

dubio *Affirmative* esse respondendum; Clara, namque sunt verba Fundatoris disponentis Cappellaniā debere esse amovibilem in hypothesi, in qua ad eam præsententur Cappellani extra Familiam Fundatoris, ibi  $\equiv$  *Quod Cappellanus eligendus ab hæredibus masculis regulariter sit amovibilis, semperque eligatur unus de Familia, quatenus existat, quod vult esse perpetuum, & quatenus non existerent Sacerdotes, seu Clerici de Familia Ambrosiana, eo casu Cappellanus, seu Rector sit amovibilis*  $\equiv$  Unde Episcopus non poterat hanc legem fundationis alterare, & efficerē hanc Cappellaniā simpliciter perpetuam, contra voluntatem ejusdem Fundatoris omnino servandam juxta Auctoritates superius relatas *ditto Caf. VII.* ubi supra n. 4., & consequenter quicquid male gesserit ordinarius reducendum venit ad justitiæ tramites, & erectio Cappellaniæ ab ordinario facta in titulum beneficii perpetui licet do nec quoisque rescindatur, & reformatur, observanda veniat, ut notavi dicto *Caf. VII. num. 9.*, tamen est reformanda in Cappellaniā amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem. Et ita resolutum fuit ab eadem Sac. Congregatione dicta die 22. Aprilis 1719.

## CANON XII.

*CONCILII TRIDENTINUM Sess. XXV. Cap. IX.*

**S**icuti legitima Patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est, sic etiam, ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis imprudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus Jurispatronatus sit ex fundatione, vel dotazione, qui ex authentico fundamento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundūm juris